



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum peccatores sint baptizandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

finem. Valent. tomo 3. disp. 8. quest. 2. puncto 1. §. nec per mortem. Lessius cap. 1. citato dub. 5. num. 59.

Hæc sententia est longè probabilior. 1. quia ad martyrium non requiritur ut mors sequatur, sed sufficit ut vulnera lethalia infligantur, vel causæ exterræ sufficientes ad mortem inferendam fuerint posite, licet diuinitas fuerint impedita ne in corpus agerent. nam qui lethalia vulnera pro Christo acceperunt, ita ut quantum est ex parte causarum naturalium mors fuisset secuta, quantum in se est Christum sunt confessi, & animam pro eo perdidērunt; ergo gratiam martyrij debent recipere, non enim videtur debere præiudicare seu nocere parato mortem subire pro Christo, quod Deus præter communem cursum eum conseruet, cum idipsum peculiari quadam ratione eius confessio nem reddat illustriorem.

Confir. quando lethalia vulnera sunt infligta martyrium in causa naturali est quodammodo consummatum. 2. in ea sententia assignatur modus vniuersalissimus, qui in alijs non ita commodè assignatur, quia, ut dictum est non videtur negandum, quin ei qui quantum est ex parte sua & causarum naturalium fuisset moriturus, ex diuina tamen misericordia est præseruatus, sit concedenda martyrij gratia, quæ iuxta alias sententias non concederetur. 3. secunda sententia nititur fundamento minus communi, de delitione rerum permanentium, quod scilicet desinant in instanti intrinseco.

Sententia Caietani varia habet incommoda. 1. quod agnoscat nos post hanc vitam posse mereri gratiam, quod est planè impossibile, cum sit idem tempus meriti & demeriti; post hanc vitam autem nollis possit demereri. 2. quod non possit assignare idem tempus vel durationem pro infusione gratiæ martyribus infantibus, & adultis; vel si assignet videantur in Theologia sequi absurda. nam iuxta Caietanum confertur adulti sgratiatione martyrij per modum meriti in primo non esse hominis, seu in primo instanti extrinseco vite; non potest autem dici ita conferri paruulis, vel si dicatur, asserendum dari gratiam & gloriam ijs qui in vita nunquam habuerunt fidem etiam habitualem, quod videtur inconueniens. est enim inconueniens spectata lege iam posita puram creaturam quæ in hac vita nunquam habuerit fidem, recipere gloriam in altera.

Confir. talis nunquam haberet fidem, non in hac vita ut supponitur, non etiam in altera; quia, quidquid sit de ea questione an fides remaneat in beatis, constat ijs non infundi si non præextiterit. 2. infans qui nunquam in hac vita habuit gratiam, non potest dici cadere ad Austrum, neque ratione gratiæ iustificantis, neque ratione bonorum operum, nec alius modus facile fingi potest quo id dicatur, igitur saluari non potest.

Dices 1. si gratia martyrij detur ante finem vite, non erimus certi num martyr sit beatus, quamdiu enim est in hac vita, potest peccare.

Resp. neg. assumptum, ad probationem dico quod licet per intrinseca principia peccare possit quamdiu viget ratio, non tamen peccabit. 1. quia nihil est quod hominem in eo statu constitutum moraliter possit allicere ad peccandum. 2. ut aliquid tunc moueret, pertinet ad diuinam prouidentiam ita custodire eum qui agone moraliter & quantum est in se absoluit, ut nulli cedat tentationi, quod etiam facit abundantia gratiæ & auxiliorum quæ conceduntur.

Dices 2. ex dictis sequeretur toties dandam gratiam martyrij, quoties aliquis pateretur vulnera lethalia.

Resp. concedendo, si ea vulnera ita infligantur ex intervallo, ut non censeantur cum prioribus ad idem martyrium pertinere, ut v.g. si postquam aliquis fuit à Deo præseruatus à morte, rursus rapitur ad martyrium, & mortaliter vulneratur (quod pluribus martyribus accidisse constat ex historijs) dico quod duplicem gratiam ratione martyrij recipiat, quia duplex est confessio, & talis quantum est ex parte sua bis mortem pertulit pro Christi nomine. quemadmodum igitur martyrio consummato, si quis ad hanc vitam reuocatus rursus martyrium subiret, duplicem gratiam videretur recipere, ita in nostro casu eam non videtur neganda. Si verò post vulnera lethalia accepta, noua adijciantur, ita ut tyrannus censeatur adhuc versari in sua actione, non videtur noua gratia concedenda, quia posteriora vulnera concurrunt cum prioribus ad vnum martyrium, quod est aggregatum ex vulneribus, ex quibus quantum est ex causis naturalibus mors necessario sequitur, siue plura sint infligta, siue non. unde si gratia sit concessa antequam accedat posteriora vulnera, ratione illorum non datur gratia ex opere operato.

Confir. in illis circumstantijs homo per posteriora vulnera non censetur vitam perdere, cum ei esset integrum illam retinere, neque censetur libere vitam exponere post priora vulnera accepta.

Petes quid censendum de miraculose seruatis qui non pertrahuntur amplius ad martyrium?

Resp. verisimile esse diuinam protectione custodiri ne peccent saltem mortaliter, dum in hac vita versantur. nam alioquin parum gratiæ illis conferretur qui quantum ex se est cursum consummauerant, & præmium penè obtinuerant, si communi aliorum forti relinquerentur. præterea offensio diuinæ virtutis in vita eorum corporali custodienda ad aliorum consolationem & auxilium, non debet illis causare tantam salutis incertitudinem, cum quantum est ex certamine salutem moraliter essent consecuti.

ARTICVLVS IV.

Verum peccatores sint baptizandi?

NOTANDVM EX S. Th. dupliciter aliquem dici peccatorem: vno modo propter maculam peccati præteriti, qua ratione omnis, cui peccatura mortale non est condonatum, dicitur peccator, & esse in statu peccati; altero modo ex eo quod permaneat in proposito seu voluntate peccandi.

Respondet 1. peccatoribus præteriti sensu acceptis baptismum esse conferendum, quia baptismus est institutus ad deletionem peccati; illum autem effectum habere potest in eo qui cum macula peccati accedit ad illum recipiendum.

Respondet 2. peccatoribus in posteriori sensu acceptis baptismum non esse conferendum. patet 1. per baptismum Christo commorimur & conselpimur, qui autem habet voluntatem peccandi & perseverandi in peccato, non potest Christo commori. 2. habens propositum perseverandi in peccato ponit obicem receptioni gratiæ, & proinde non potest Sacramentum absque peccato recipere. 3. cum per baptismum intremus in familiam

Christi,

Obiectio 2.

Resp.

Si quis præseruatus à morte, iterum ad martyrium rapitur, duplicem gratiam recipiet ratione duplicis martyrij.

Quæst.

Miraculose seruati verisimiliter à Deo protegentur ne peccent, saltem mortaliter, quamdiu viuunt.

Dupliciter quis dicitur peccator.

Resp.

Christi, baptizandus non debet habere voluntatem repugnantem Christi legi.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria?

36.

Resp. neg.
Florent.
Trident.

RESPONDET negativè, quia doctrina certa est ex Concil. Flor. decreto de Sacramentis, & ex Trid. sess. 14. cap. 2. & 8. ex quibus locis constat in baptismo non solum deleri culpam, sed etiam remitti omnem poenam apud Deum peccatis debitam, cuius rei primaria ratio est Christi institutio; congruentia verò est quod per baptismum commoriatur Christo, & quod spiritualiter nascamur, & proinde debeat in eo non solum remitti culpam, sed etiam totam poenam.

Non possunt ab Ecclesia imponi opera satisfactoria baptizato; imò nec ab eo assumi ad satisfaciendum.

Ex quo sequitur quod non tantum non possint iniungi ab Ecclesia opera satisfactoria baptizato ad satisfaciendum pro peccato, sed etiam quod ne quidem possint ad hunc finem assumi. iniuriam enim faceret baptismus & passioni Christi iudicans suo facto per baptismum non obtineri plenam remissionem poenae peccatis debita, & Christi passionem non plene applicari baptismus ad perfectam poenarum remissionem.

Dixi, ad satisfaciendum, quia ad alios fines bene possunt consuli opera poenalia, vel alia, vel etiam iniungi si iudicetur necessarium: ut si baptizandus alios iniuria affecerit, moneri debet ut satisfaciatur pro huiusmodi iniuria, quia sine voluntate satisfaciendi non potest gratiam baptismi consequi. idem est iudicium de alijs restitutionibus. 2. possunt iniungi si iudicetur necessarium ad immoderatos animi motus & prauos affectus refragandos: possunt etiam consuli ut assumantur ad excitandam deuotionem, & ad similes fines.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri?

NOTANDUM ex D. Th. confessionem posse fieri Deo vel homini, & eam quae fit homini posse fieri ei tanquam Dei ministro in Sacramento poenitentiae, vel extra illud Sacramentum, hoc praemisso.

Resp.

Respondet 1. necesse esse peccatorem ante baptismum sua peccata Deo confiteri. Ratio est quod ut peccator (qui scilicet actualia commisit) remissionem peccatorum per baptismum recipiat, aliquem de illis dolorem debeat concipere, unde debet ea recogitare, ubi obiter.

Non teneatur peccator ante baptismum singula peccata, etiam mortalia in memoriam reuocare.

Aduerte quod non teneatur ante baptismum singula peccata etiam mortalia in memoriam reuocare, quia id non requiritur ad concipiendum de illis dolorem, sed solum requiritur in ordine ad confessionem sacramentalem. nam constat peccatorem consideratis peccatis tantum in genere posse excitari ad eorum detestationem. interior ergo confessio eatenus necessaria est ante baptismum, quatenus aliqua exigitur de ijs poenitentia, & per consequens confusa eorum recordatio sufficit.

Respondet 2. nullo modo praemittendam esse confessionem sacramentalem, quia baptismus est

ianua Sacramentorum, ante quem homo est aliorum Sacramentorum incapax, & proinde etiam Sacramenti poenitentiae neque potest à peccatis ante baptismum commissis per sacerdotem absolui, ex quo patet hec peccata ne quidem post receptum baptismum debere subijci clauibus Ecclesiae, cum non sint materia Sacramenti poenitentiae.

Respondet 3. peccatorem baptizandum posse sua peccata confiteri, non quidem ad beneficium absolutionis obtinendum, sed ad recipiendam instructionem contra illa, ut videlicet remedia contra prauos animi motus, contra proximas peccatorum occasiones tradantur, vel ut declaretur obligatio restitutionis si quae sit facienda, & de tali confessione sunt intelligendi varij Patres qui faciunt mentionem confessionis ante baptismum, ubi tamen.

Aduerte eam non necessariò praemittendam, quia nullibi extat praeceptum de tali confessione baptismi praemittenda, neque etiam ea necessitas potest colligi ex obligatione relinquendi proximas occasiones, vel ex praecepto restituendi, quia potest aliquis aliunde habere horum notitiam, solum ergo est consilij conscientiam suam aperire ad instructionem spirituales recipiendam.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum baptismi?

NOTANDUM hunc articulum sicut & tres praecedentes intelligi de adultis, de quibus tres sunt sententiae.

Prima est eorum qui existimant baptismum valide suscipi, si sacramentalis actio exerceatur circa aliquem, quamuis ille sit plane inuitus & corde dissentiat, ut refert Innocentius 3. cap. maiores. 5. item quod dicitur de baptismo & eius effectu.

Secunda est Caier. hic existimantis ad valorem baptismi non requiri consensum suscipientis, sed sufficere ut non habeat voluntatem contrariam.

Tertia tenet etiam ad ipsius baptismi substantiam & valorem requiri intentionem & consensum in recipiente. ita D. Th. hic & communiter Theologi, quae sententia ita vera est, ut alia nullo modo possint sustineri. videri possunt dicta quaest. 64. art. ultimo dub. 3. quae hic possunt applicari.

Aduerte 1. hunc consensum non tantum debere ferri in actionem sumptam materialiter, sed etiam prout habet rationem mysticam & sacramentalis actionis. nam ad hoc ut quis baptismum recipiat, non sufficit quod velit se aqua aspergi, cum verborum prolatione, ibi sistendo, sed requiritur, ut saltem confusus id ipsum velit, prout est caeremonia quaedam sacra, v.g. quod velit caeremoniam christianorum recipere, vel quod velit recipere remedium contra peccatum &c.

Aduerte 2. hunc consensum in recipiente requisitum non debere necessariò esse formalem seu actuale dum Sacramentum ipsum recipitur, imò neque debere necessariò esse virtuale, sicut debet esse in ministro. patet ex c. maiores citato, ex quo constat dormientes posse baptizari, quos certum est non posse habere intentionem virtualem dum ministratur eis baptismus; sufficit ergo consensus interpretatiuus seu habitualis ex actuali relicto, qui in hoc consistit quod aliquis voluerit baptizari.

Non potest quis a sacerdote absolui post baptismum de commissis ante baptismum.

Explicit PP. qui dicunt confessionem ante baptismum requirere.

Tres sententiae.

Prima.

Cap. maiores.

Secunda.

Caier.

Tertia.

D. Th.

Resolutio.

affirm.

Confessio.

ferri debet.

in actione.

ut sacramentalem.

Consensus.

interpretatiuus.

seu habitualis.

ex actuali relicto.

Consensus.

interpretatiuus.

seu habitualis.

ex actuali relicto.